

(vt loquuntur) quoties domū meā scrutati sunt iudices ipsorū impulsu, si qui forte libri suspecti possent reperiri? Accessit ad hæc, circiter annū M. D. XLI, Noui testamenti editio cum breuissimis annotationibus ad marginem à me simul excusis, quas proculdubio à viris doctissimis acceperā: ac principio quidem, non placidè modò, sed etiā læto plausu ab illis exceptus est liber. & sane non ignoro quantum eos iuuerit. Paulo post ex ipsis quidam ne nomini quidem parcentes, impudēter pro suggestu clamāt, annotationes me edidisse valde periculosas, quòd locos de Purgatorio & Cōfessione aliter interpretarer quàm solerent: astutum me & callidū qui prætextu utilitatis publicæ, disseminarem hæretica. Murmur suboritur quod statim in solitos clamores erumpit, vt aliquandiu tertia iam vice latere cogerer. Collecto tādē animo quū tempestas illa paululū sedata foret, denuò easdē excudo, mutatis pauculis & multis additis, quorundam sectæ eorum consilio. Mox obstrepūt Gagneius, Picartus, Guiācurtius, sacri ordinis primores. Vt autem ad postremum fabulæ actū veniamus, in quo ostendā quàm re-